



~~Ph.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*VI-27*  
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

*St. Mikkel. alced*

DEO PROPITIO

Συζητικῆς Theologicaς

DE VERA CHRISTI  
IN TERRIS ECCLESIA, ET  
num ea in fide errare & deficere  
possit.

Moderatore

REVERENDO ET CLARISSIMO  
VIRO DN. IOHANNE GEORGIO VOLCKMARO,  
S. S. Theol. Doctore & Professore in Aca-  
demia Witebergenſi Publico,


CONTRA PONTIFICIOS

Ad disputationem XIX. in Collegio Studiosorum Theo-  
logiæ privato, die VI. Martij habendam,  
proposita  
à

M. HERMANNO VOLFFIO LVBECENSI,  
Respondente.

M. GEORGIO SCHVEGLERO AVGVSTANO.  
VVITEBERGAE, Literis VVolfgangi Meißneri.

ANNO cl. Io. IVC.



NOBILI VIRO, EXIMIA PIE-  
*tate, erudita doctrina, & singulari pruden-*  
*tia prestantissimo,*

DN. HENRICO DE LIPPIA, CIVI RO  
stochiensi Primario, Domino, amico & fautori suo opti-  
mo, Theologicum hoc exercitium gratæ re-  
cordationis ergò

*dicat & nuncupat,*

M. HERMANNVS VVOLFIVS  
*Lubecensis.*



# DE ECCLESIA.

## THESIS I.



**D**E corpore Ecclesie, quatenus illud in Concilijs congregatum cerni nugantur Pontificij. nuper vidimus; sequitur ut de eodem, quatenus toto terrarum orbe dispersum est, & in unum, quanam Ecclesie, tanquam corporis, unius veri capitis Christi, ratio sit, ex divinis scripturis altius inquiramus.

2. Quod ut faciamus duplex nos urget necessitas. Ut enim nihil dicamus de varijs & perversis hominum judicijs, dum alij Ecclesie pomera cum universi mundi limitibus extendant, in sua quemq; religione salvari posse autumantes: alij confusionum moti turbis Ecclesiam amplius in terris superesse negant: hoc certum est, neminem Deum habere posse Patrem, qui Ecclesiam non agnoscit matrem. Cumq; extra ejus gremium nulla sit speranda peccatorum remissio nec salus ulla, quam utiq; necessarium fuerit, ut quanam & qualis illa sit, ac quomodo cives ejus reddamur, probe cognitum habeamus.

Esa. 37. v. 32.  
Joel. 2. v. 32.

3. Accedit Pontificiorum in hoc teatro frequentius se ostentantium, & tantum non triumphantium, impudens gloriatio. Postquam enim ad salvandas superstitionum suarum, & errorum mendacissimum abominationes a scripturae presidio se Leberide inaniores esse experiantur, ad Ecclesie auctoritatem confugiunt, quam scripturae auctoritate longe priorem esse, impio ore blasphemant.

Hosius in conf. Petroco. cap. 15.

4. Si quaeris, quae tandem illa sit Ecclesia, de Romana respondent, nempe a cui Romanus Episcopus praesit Pastor, & quidem b Oecumenicus Pastor, a cujus dignitate salus Ecclesie pendeat.

Lindanus lib. 4. cap. 43.

5. Unde eam definiunt esse humanam congregationem, c quae sit alligata ad Praelatos & superiores, non minus quam quaelibet alia Respub. alligata est suis Capitibus. a adeoque eum certum non esse Ecclesiam, nec partem ejus, qui Romanum Pontificem non agnoscat superiorem.

Hosius de expresso Dei verbo.

c Soto assert. Cath. pag. 33.

d Ibid. p. 137.

Bellarmin. lib. 3. de Eccl. mil. cap. 1.

6. Hanc vero ejusmodi beant elogijs, quod sit mater, magistra, & domina omnium Ecclesiarum, quae non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuerit.

Ius Canon. dist. 21. & 22.

7. Privilegia vero illius esse talia, quod in fide errare non possit, nec erraverit

A 2

erraverit

Soto in ass.  
Cathol.  
Bell. lib. 3.  
de Eccl. mil.  
cap. 14.  
Soto defens. 2.  
Cathol. de  
Eccl. p. 995.  
Bell. lib. 4.  
de notis Ecc.

erraverit unquam, quod semper regatur Spiritu sancto. Et quod dicit Bellarminus, Ecclesiam absolute errare non posse, nec in rebus absolute necessarijs, nec in alijs quæ credenda vel facienda nobis proponit, sive habeantur expresse in scripturis, sive non habeantur.

Et quid mirum, si qualem Ecclesiam fingunt, tales ejusdem notitas assignent, puta consonantiam in publica doctrina & externo cultu: legitimam & continuam successionem Episcoporum: & agnitionem unius capitis Romani Pontificis, & quæ sunt ejus generis alia.

9. Quæ omnia tum hujus articuli amplitudinē, & quam necessaria sit illius a nemis Pontificijs vindicatio: tum præcipua illius capita, ad quæ animus in hac disputatione referendus erit, ob oculos ponunt.

10. Et postremum quidem caput, quod est *ἡ ἑκκλησία* vera Ecclesie sequenti *ἐκκλησία* relinquentes, alterum illud, in quo præcipuum Ecclesie ornamentum & privilegium collocant Papicola in præsentia ventilandum suscipiemus, si tamen prius veram Ecclesie definitionem, quæ essentiam ipsius secundum se explicet investigaverimus.

August. En.  
chirid. ad  
Laur. cap. 56.

11. Etsi autem ea tantum una sit (id quod postea planum fiet) cum tamen pro diverso statu considerata, imo Militantem & Triumphantem dividatur, hanc missam facientes, de qua alias dicendi locus erit, de illa hac vice tantum agemus.

*ἐκκλησία*

Bell. lib. 3. de  
mil. Eccl.  
cap. 11, 12, &  
seq.

21. Vbi hæc scite futura est: Vtrum vera Christi Ecclesia tantum sit visibilis: & num errare ac deficere queat.

Num. 16, v. 3.

13. Et primo ipsam Ecclesie appellationem quod attinet, etsi sunt qui eam quoque ad veteris Testamenti populum referant, qui tamen *ἐκκλησία* nomine sæpius in libris utriusque Testamenti notatur, cui Ebraum *קהל* potissimum respondet: placuit tamen Spiritui sancto in Novo Testamento hæc voce notare universum cætum, ad vitam æternam evocatum, qui veram Christi religionem profitetur.

14. Et hoc sensu cum Ebr. *קהל* vox *ἐκκλησία*, optime convenit, quæ a *πρὸς* sic differt, quod illa conventum hominum significat seu cætum, qui ad certam rem transigendam, & ad certum locum tempusque indictum conveniunt: hæc vero notat totam multitudinem & Ecclesiam non habentem certum locum, nec tempus indictum, quæ significatio N. T. Ecclesie optime respondet.

15. Nam



15. Nam cum V. T. Ecclesia ad unā gentem Iudaicā ordinariē esset al-  
ligata juxta illud: Notus in Iudaea Deus, & in Israel magnum nomen e-  
ius; nunc diruta macerie ex duobus populis unua, adeoq; unū civile  
& unus Pastor factus est, unde & Catholicae titulum *καθολικῆς* obtinet. *Ps. 76. v. 3.*  
*Eph. 2.*  
*Iob. 10.*

16. Etsi non inficiamur, à doctrina quam amplectitur appellatione,  
sic quoque nominari, quippe quæ per petuo omnium Prophetarum &  
Apostolorum testimonio comprobata est. Quo sensu & V. T. Ecclesi-  
am, quamvis haud rarò ad insignem paucitatem ac raritatem contra-  
ctam, Catholicam vocabimus.

17. Ut bis stolidi sint Pontificij, qui hanc Ecclesiae dignitatem Ro-  
mani cætus ambitu coercere satagunt. Cum enim nullus ferè fidei arti-  
culus nobis amplius sit reliquus, quem scdis errorum sordibus non con-  
spurcarint (id quod in progressu Disputationum nostrarum patebit) an  
non heretica potius, quam Catholica Ecclesiae titulo insignienda fue-  
rit?

18. Id vero quod universa est congregationis Christianae, quæ per *Episto. 170.*  
totum terrarum orbem diffunditur, & hinc *καθολικῆς* rectè nominatur,  
teste Augustino, ignobili lernæ Antichristianæ assignare quàm ne dicam  
inconveniens, sed impium quoq; foret?

19. Quin si hoc quoque considera verimus, ratione durationis sic no-  
minari Ecclesiam, ut quæ ad finem usq; mundi permansura sit: quod  
itidem doctrinam Magistri sui unici unam eandemq; omnibus tempori-  
bus /yncerè fideles amplexuri sint: nonne iterum Romana Ecclesia hæ-  
retica potius & Antichristiana, quam Catholica audiet, cum huc omnes  
suas vires conferat, ut doctrinam cœlestem, sacro Bibliorum codice com-  
prehensam, cumq; illa, veram Christi Ecclesiam, tantum non extirpet  
funditus, & in pulverem redigat. *Iob. 10.*

20. Sed hic probe, quid veræ Ecclesiae, cujus *καθολικῆς* meminit,  
appellatione veniat expendendum erit. Sanè, cum ipsa nominis notatio,  
modum simul & rationem includat, quæ ejus membrum aliquis efficiat-  
tur, patet generaliter Ecclesiam definiri posse cæterum vocatorum, quos *Rom. 1. v. 7.*  
per verbum Evangelij ad societatem populi sui Deus vocat. unde & ipsi *1. Cor. 1. v. 1.*  
fideles *καθολοί* ab Apostolo nominantur.

21. Et hæc est illa Ecclesiae universalitas, generalis vocationis re-  
spectu definita, gratia cujus universus mundus in fideles atq; infideles  
dirimitur, ut quicumque à fide Christi adhuc alieni sunt foris esse pronun-  
cientur, quot quot verò vocati vel initiationis Sacramento ad Ecclesiam

per venerunt, vel fidei saltem professione se illi aggregarunt, pro partibus  
& membris Ecclesiae, simpliciter sic dictae rectissime reputentur.

22. *Iam verò sicut non omnes statim pii sunt, qui pietatis quidem  
speciem praeseferunt, quippe, cuius virtutem, affirmante Apostolo ab-  
negant: sic non statim VERAE ECCLESIAE titulo gaudent, qui ejus  
sui laudes & praeconia superbe arrogunt.*

23. *In diebus carnis suae, quis ex omni factione Iudaeorum acerbio-  
ri odio prosequeretur Servatorem nostrum, quam ipsi Sacerdotes sum-  
miq; Pontifices? & nihil minus tamen vera Dei Ecclesia ipsi imprimis  
salutari volebant, adeo, ut ministris suis, summam docendi potestatem  
Iesu Nazareni, ad quem capiendum emissi erant, causantibus, responde-  
rent, Nunquid etiam vos errastis? num ulli ex principibus aut ex Pha-  
risaeis crediderunt in eum, sed populus hic, qui non novit legem execra-  
bilis est.*

24. *Cum itaq; Pontificia Synagoga, ut ceteras ejusdem notae o-  
mittamus, adversus Ecclesiam doctrinam Evangelij professas non meli-  
us animata sit, perspicuum evadit, necessario inter veram & falsam  
Ecclesiam discernendam esse, idq; Scripturae auctoritate, quae Synagogae  
malignantium, Dei & Christi Ecclesiam opponit.*

25. *Quam antequam definiamus, sciendum est, distinguendum esse  
inter Ecclesiam visibilem, & invisibilem, quae Electorum tantum est. &  
hinc ecclesia vocatur, quoniam Electi non sint tota Eccle-  
sia cum ad eam constituendam, non interior solum fides, sed externa et-  
iam dispensatio verbi & Sacramentorum requiratur.*

26. *Sed de Electorum Ecclesia invisibili, postea dicendum erit. Il-  
lam verò communis Confessio nostra sic describit, quod sit congre-  
gatio sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, &  
recte administrantur Sacramenta.*

27. *Rodit hanc descriptionem Bellarminus, & Pelagianismi ream  
agere satagit, assumens illud, quod alibi recte tum à Lutero, tum ab alijs  
dictum est, nullam esse peccatum veniale ex natura sua, sed omnia esse  
mortalia.*

28. *Ex quibus sic infert: Si soli iusti sunt partes verae Ecclesiae, &  
omnia peccata quantumvis levia sunt peccata mortalia, & faciunt ho-  
minem injustum, sequitur solos perfectos, & omni peccato carentes esse  
de Ecclesia, quae erat opinio Pelagianorum.*

29. 51



29. *SI, inquit. soli iusti. Quid verò, si asinus volat, & c. Et quis autem Confessionistarum (ut Laiolano isti convitari placuit) unquam inventus fuit, qui solos iustos, quos ipse quidem intelligit, veram Ecclesiam partes esse somniaret? cum istam calumniam, sequens Articulus octavus, itemq; prioris illius Apologia manifestè rejellat, discretè asserendo, in hac vita multos hypocritas & malos (verè credentium cætus) admixtos esse?*

30. *Non ignorabat hoc Adversarius, itaq; phrasin calumniatur, quã dicitur, malos bonis admixtos esse, splendide fingens, nos duas Ecclesias fingere, unam veram, ad quam pertinent privilegia, & c. Alteram externam, quæ nomine tantum sit Ecclesia, & c. & in hac bonos & malos inveniri.*

31. *At verò si una & ead. in Ecclesia, duplici modo, quanquam respectu diverso, consideratur, num statim duplex esse fingitur? Certè Ecclesiam numero unam esse, & essentiali forma à se nunquam discrepare utrinq; in confesso est. Nec ipsi tamen insiciabuntur, si loca respiciamus, in Topicam seu particularem, atq; universalem seu Catholicam: si tempora, in Veterem & Novam, ut alias distinctiones prætereamus, discerni posse, salva nihil minus vera Ecclesie unitate.*

32. *Hactenus igitur à Pelagianorum errore liberi sunt Confessionistæ, quandoquidem bonis malos in visibili veræ Ecclesie societate, admixtos esse fatentur, quos etiam rectè in Ecclesia esse dicimus, quod ipsis aliquando ingressus in illam, per initiationis Sacramentum apertus est, licet non sint de Ecclesia, hoc est, Ecclesie Christi genuina membra.*

33. *Sed pergit fingere Robardus, nos ex ejusmodi iustis constituere Ecclesiam, qui sint perfecti, & omni peccato careant. At quoties hoc figmentum ipsa confessio eliait? Et nonne Apostolus, cum dixisset sanguinem Iesu Christi, filij Dei nos mundare ab omnibus peccatis mox subiicit: Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos falsimus, & veritas non est in nobis? & c.*

34. *Quod verò quarto obijcit, nobis omnia peccata, quantumvis levia esse peccata mortalia, meminisse debebat diversi respectus, antea à se assignati, quod videlicet mortalia sint ex se, venialia autem ex misericordia Dei. Idq; si ita est, ut est omnino, quemodo illud quod jam per misericordiam Dei veniale factum est, hominem faceret injustum, hoc est, condemnationi obnoxium cum nihil sit condemnationis in his, qui sunt in Christo Iesu.*

35. Nos

35. Nos igitur sic retorquemus argumentum: Si non tantum iusti, sed & iniusti sunt in vera Ecclesia, imo ipsi quoque iusti [fide] multis tamen in hac vita peccatis adhuc sunt obnoxii, sequitur non solos perfectos (ut scriptura illos definit) & omni peccato carentes, vera Ecclesie partes esse.

Verum esse prius, asserunt Augustanae Confessionis veteri socii. Ergo & posterius. Et per consequens nihil ad ipsos error Pelagianorum.

36. Neque tamen, cum improbos quoque partes verae Ecclesie esse dicimus, eos statim verae Ecclesie membra constituimus, aut de vera Ecclesia esse affirmamus. Cum pars vita expers dari, membrum autem verum & proprie sine vita ne intelligi quidem possit.

Eph. 4. v. 16 37. Hinc Apostolus, postquam capitis Ecclesie meminit, corpus & membra eius sic describit; ex quo [capite] totum corpus congruenter coagmentatum & compactum, per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente, pro mensura uniuscuiusque membri incrementum capit corpori conveniens, ad ipsius extruccionem per charitatem.

Bellar. ibid. cap. 3. §. & seq. 38. Et ut ὡς ἐν παρῶδῳ dicamus ad veram Ecclesiam Christi visibilem referimus non electos tantum & Catechumenos, sed infirmos quoque in fide, in vita imperfectos, in religione ipsa errantes, haereticos quoque & infideles occultos, quam diu adhuc latent in Ecclesie gremio, neque excommunicationis fulmine extorres facti sunt, &c.

39. Excludimus autem, Turcas, Iudeos, & qui sunt praeterea infideles, maxime vero apertos Ecclesie hostes, cum quibus etiam numeramus apostatas, excommunicatos, haereticos, praesertim, qui vel admoniti sapienter & fideliter, errores suos non abijciunt, sed pertinaciter defendunt. Tales enim ἐκτοραταρῆτες esse, jamdudum Apostolus pronuntiavit.

Aug. Confess. artic. 9. August. de Bapt. lib. 3. cap. 19. 40. De quibus tamen observandum, cum & Sacramenta, & verbum, ministerio illorum dispensata, propter ordinationem & mandatum Christi sint efficacia, etsi ab Ecclesia vera exierunt, quod tamen in Ecclesia esse non omnino desinant. Quomodo enim & ipsi Sacramenta administrare vere possent, si Ecclesie communione prorsus excidissent?

41. Ex his vero quae hactenus dicta sunt obvium est, verae & falsae Ecclesie aestimationem, ex sola doctrina caelestis puritate reposita & conservatione legitimi usus Sacramentorum petendam esse.

42. Quod tamen de Ecclesia per se, & in nativo suo statu considerata accipi volumus, non ut in accidentali sua depravatione spectatur, quando

quando videlicet, doctrinis humanitus excogitatis, nativa vera Eccle- Ps. 147.  
sia visibilis facies obsufcata est. Diversam enim utrobique rationemq; es- Deut. 4.  
se, V. T. Ecclesia luculento argumento esse potest. Mal. 2.

43. De notis verae Ecclesiae a Pontificis assignatis, quid habendum sit, non difficilis, ex modo allatis, conjectura esse potest. Et jamdudum illa Apologia Confessionis nostrae protrivit itaque nos omisis illis, praesertim cum de ijs peculiaris disquisitio suscipienda sit, quae de invisibili Ecclesia nobis dicenda restant, paucis pertexemus.

44. Hanc omnino negari a Papalibus, certum est. Noster, dum pro sola visibili pugnat, se nullam invisibilem credere, arguit. Rotunde vero quid sentiat aperit, cum inquit, Ecclesiam esse caetum hominum ita visibilem & palpabilem, ut est caetus populi Romani, vel Regnum Galliae, aut Respub. Venetorum.

45. Nempe sic olim quoque impii Papicolae dicebant. Sicut Respub. Veneta, regnum Gallicum, Imperium Germanicum, certo ordine gubernatorum & subditorum, certis legibus & moribus constat: Ita ad Praelatos, qui sunt in ordinaria successione, Ecclesiam Christi sic esse alligatam, ut quodcumque illi statuant & sentiant, necessario sit ab omnibus recipiendum.

46. Sed recte illis responsum fuit, non ejusmodi politica imaginatione faciem Ecclesiae concipiendam esse, cum sit ejusmodi grex ovium, quae a Christo cognita, & eum vicissim agnoscentes, e manibus ejus in aeternum rapi nequeunt, Job. 10. 7. 10  
& 11.

47. Sic vero ex electione Ecclesia aestimatur, unde & eam definiunt Caetum invisibilem Praedestinatorum ad vitam aeternam.

48. Haec vera Ecclesiae visibili non contrarie est opposita, sed in eademque eidem inclusa, adeo ut extra illum visibilem vocatorum caetum minime quaerenda sit.

49. Invisibilis autem vocatur, non quod nulla ratione sub aspectum hominum veniat, cum persona suae ratione non minus pii atque impii sensui oculorum sint obnoxij: nec, quod cum externo divini cultus ministerio nihil illis sit commercii: ab eo enim quomodo se segregarent, cujus exercitium vita ipsorum est & anima?

Ps. 42.  
Ps. 48.

50. Sed propter invisibiles & in corde absconditas notas quibus ipsi, tanquam vera Ecclesiae membra a falsis in oculis Dei secernuntur, cui hoc nomine soli sunt cogniti.

51. Nihil itaque, nisi impietatem suam produunt Romanenses, quando  
B hanc

hanc Ecclesiam allegoricam vocant, mathematicam & ideas Platonicas  
nempe, quia dicto modo, abscondita est, & ab oculis hominum remota.  
52. At nonne vita quoque nostra, cum Christo, in Deo est abscondita?  
Coll. 3. v. 3. nec tamen propterea vita nostra est idea Platonica, aut Phantastica  
imaginatio, quia scimus, quod cum Christus apparuerit vita nostra, nos  
cum ipso etiam in gloria apparituri sumus.

53. Lucerna igitur pedibus nostris verbum Domini. Quod consuleu-  
tes, ea proferemus fundamenta, quae nobis de invisibili Electorum Ec-  
clesia, plenam fidem faciant.

#### LOCVS II.

Rom. 11. ,, 54. Sic ait Apostolus: Non abiecit Deus populum suum, quem prae-  
v. 2. 3. 4. ,, scivit. An nescitis de Elia quid dicat scriptura, & c. Sed quid dicit ei di-  
1. Reg. 19. ,, vinum responsum? reliqui mihi septem millia virorum, qui non flexe-  
v. 10. & 18. runt genua Baali.

55. Argumentum tale est: Si tempore Achabi Regis, Ecclesia in pro-  
mi. sua Idololatrarum turba sic latebat, ut ne quidem Prophetæ oculis  
esset obvia, sequitur minime absurdam esse sententiam, de invisibili Ec-  
lectorum Ecclesia. Verum illud. E.

56. Ratio connexionis est, nam aut visibilis fuit cætus ille aut  
invisibilis. Si visibilis, cur ne quidem perspicacissimis Prophetæ oculis  
patuit? Nisi forte dixeris, illud quoque actu visibile esse, quod tamen oc-  
culorum sensui non est expositum. Invisibilis igitur. Et recte nos à con-  
ditione V. T. Ecclesiae ad conditionem N. argumentari, exemplo suo  
confirmat Apostolus.

#### LOCVS III.

2. Tim. 2. ,, 57. Solidum stat fundamentum Dei & c. item. Ego cognosco oves meas.  
v. 19. ,, Et: Non iuxta hominis intuitum ego judico.  
Ioh. 10.

1. Sam. 16. 58. Syllogismus talis est: Si Scriptura verorum Ecclesiae membro-  
rum, & ovium Christi cognitionem hominibus in unversum adimit,  
soli vero Deo unice vendicat, sequitur esse aliquam Electorum Ecclesiam  
invisibilem. Verum illud. E.

1. Reg. 8. ,, 59. Connexionis ratio manifesta est, assumptum, præter allegata te-  
Jer. 17. ,, stimoniam, hæc sequentia quoque confirmant: Tu solus novisti corda homi-  
num. Item. Ego scrutor renes & corda.

#### LOCVS IIII.

Rom. 2. v. 29 60. Non is qui in manifesto, Iudæus est, sed qui in occulto Iudæus  
Est. 4. 5. v. 14 est, & c. Et rursum: Gloria filiae regis  $\text{הַמַּלְכָּה}$  ab intus.

61. Ex quibus sic colligimus: si gloria filiorum Dei, [est autem illa  
fidei]

fidei gloriatio 7 ab intus est, & in occulto posita, utiq; non hominum conspectui, sed solius Dei cognitioni subiacebunt. Verum prius, quod probat citat. loca. E.

ὄρα σκευή.

Argumentum.

62. Si nulla est Electorum invisibilis Ecclesia, non jam amplius in symbolo Apostolico dicendum erit, Credo sanctam Ecclesiam catholicam: sed video, aut palpo Ecclesiam. Absurdum hoc. E.

63. Assumpti veritas manifesta est: siquidem fides est earum rerum quæ non videntur, & fides est credere quod non vides.

Hebr 11.

v. 1.

Argumentum II.

64. Si nulla est invisibilis credentium & Electorum Ecclesia, nullus uspiam in toto orbe terrarum relinqueretur cætus, quem Deus Ecclesie sue titulo dignetur. Hoc absurdum. Illud igitur.

65. Ratio connexi hypothetici hæc est: Si visibilis ille cætus vocatorum dicitur Ecclesia Christi, aut propter infideles, sive occultos sive manifestos, aut propter invisibilem cætum vere fidelium & piorum talis vocabitur. Non illud. Hoc igitur.

66. Hinc adeo frequens est, ut Deus rebellem & contumacem gentem Judæicam suam nihil minus peculium vocet: nempe propter vere fideles in cætu improborum adhuc reliquos, quanquam latentes. Sic Paulus Galatium, Ephesiorum, &c. Ecclesias, sanctos vocat & fideles, propter vere pios in multitudine vocatorum comprehensos, E. &c.

67. Transeundum nunc est ad alteram τὴν ἄλλαν partem, quæ hoc quæ rebat: Num vera Christi Ecclesia errare possit?

68. Et Papicolæ quidem in hac questione palmariū sibi constituunt.

Putant enim, si hoc evictum sit, Ecclesiam nunquam errare posse, jam Bellar. lib. 3.

constare nec Ecclesie principes & prelatos, erroribus posse fieri obnoxios. Itaq; os suum in cælum ponunt, sic blasphemantes: Ecclesia non

poteſt errare, id est, quod tenent omnes fideles, tanquam de fide, neces-

sario est verum & de fide. Et similiter, id quod docent omnes Episcopi

tanquam ad fidem pertinens, necessario est verum, & de fide.

69. Quod si rationem consequentia, ab universa Christi Ecclesia, ad

Romanos Episcopos, desideres, subiicit Laiolanus, quia sunt Ecclesia re-

presentative, quilibet enim, inquit Episcopus gerit personam Ecclesie

sue particularis. Et proinde omnes Episcopi personam totius Ecclesie.

70. Et mox Calvinum mendacii arguens, Ecclesia inquit, non potest

errare, siue proponat, quæ habentur in Scripturis, siue dogmata extra

Scripturam.



**Ca. olus Rui.** 71. Quid verò est, elevare se supra omne id, quod Deus est, si hoc non  
**nus Conf.** est? Sed bene est, Papa hoc dicit, & conjurati ipsius, qui etiam potest  
**109. num. 1.** statuere contra Epistolas D. Pauli: imò etiam contra verba Evangelij  
**in 5. volu** licet non contra mentem.

**Sigismundus** 72. Esto sane, Ecclesiam non errare, quia est columna veritatis. Quid  
**Neapolit.** verò hoc ad mitratos Episcopos, ad bicornes Abbates, imò ad ipsos Ro-  
manos Pontifices? quos saepe apertos Evangelica veritatis irrisores  
fuisse notorium est.

**Ier. 7. v. 4.** 73. At clamant Pontificij & non peribit lex à sacerdote, neq; consilium  
**Ier. 7. v. 28.** à sapiente, nec sermo à Propheta. Idem verò quondam Iudaici Sacer-  
dotes. Vtrisq; Propheta respondet: Nolite confidere in verbis mendacij  
**Fide etiam** dicentes, templum Domini, templum Domini est. Hac enim est gens,  
**Ier. 8. v. 8.** quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam.

74. Nos distinguimus prinò inter errorum genera, quorum alij ad-  
versus ipsum fundamentum articulorum fidei pugnant, alij non nisi in-  
directè feruntur in ipsum fundamentum. His obnoxiam esse posse Eccle-  
siam dicimus, illis non item, quæ eam maneret Ecclesia, si v. g. vel S. S.  
Trinit. articulum, vel Christi personam aut officium ipsius abnegaret?

75. Quod si accidat, ut Electi quoq; (quod fieri posse Aaronis exemplo  
docemur) gravissimis erroribus preoccupentur, non tamen in illis ad fi-  
**Matth. 24.** nem usq; persistunt, quomodo enim si persistenter, electi essent, qui nun-  
**Ioh. 10.** quam perire possunt?

76. Fit illud ex eo, quod regeneratio hominis in hac vita non est per-  
fecta. Proinde sicut propter remanentem concupiscentiam, etiam renati  
in vita & moribus labuntur saepius: ita quid mirum, si quoq; propter  
remanentes in mente dubitationum reliquias in rebus fidei interdum  
impingant?

77. Quod non tantum de oribus, simplici nimirum Christianorum vul-  
go, sed ipsis quoq; Pastoribus & Doctoribus accipi volumus, quos non  
minus graviter labi posse, mox probabitur, neq; Doctores tantum, sed  
integras quoq; Ecclesias, neq; illas particulares modo, sed Catholicam  
quoq; seu universalem.

78. Ut nulla hic ordinaria & nunquam interrupta successio locum ha-  
beat, cui singulares datæ sint promissiones, ut qui ea gaudent, nunquam  
errare possint. An non de Ephesina Ecclesia Doctoribus pronunciat Apo-  
**Act. 20. v. 28.** stolus, quod Spiritus S. constituerit ipsos Episcopos, ad pascendum Ec-  
clesiam Dei, quam suo illo sanguine acquisivit? Et tamen ex vobis  
ipsis

ipsis, inquit, exorientur, qui loquentur per versa, ut discipulos post se *Ib. 7. 30.*  
abstrahant.

79. Promissus est sanè Spiritus sanctus Ecclesie Doctores & Mi- *Esa 59. v. 2.*  
nistris, sed si non recedant à verbo & doctrina Dei. Promittitur disci- *Ioh. 8.*  
pulis, si tamen permanserint in sermone ipsius. Promittit Christus se *Ioh. 15.*  
assuturam Apostolis & Ecclesie usq; ad finem mundi, si tamen doceant *Matth. 28.*  
servare, quæ ipse præcepit. *v. 20.*

80. Multò autem minus Papistis proderit ordinaria successio, quod  
ea iusto Dei iudicio sæpè abjecta & diserta est. De Iudaicis sanè sacer- *Ies. 56. 10.*  
dotibus pronunciat Iesaias, Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt  
universi, canes muti, non valentes latrare.

81. Hoc si de ordinaria successione divinitus instituta verum est,  
quid de illa fiet, quæ Deum non habet autorem, sed humanis consilijs  
inventæ est?

82. Age igitur ex divinis scripturis doctrinæ hujus veritatem astrua-  
mus. Et primò quidem, quod Pastores Ecclesie à lapsus periculostum in  
moribus, tum in doctrina præsertim, non prorsus sint immunes. De o-  
viculis enim ex thesi 76. constare arbitramur.

#### LOCVS I.

83. Petrus Apostolus, etiam post confirmationem in ea versatur opi- *Aet. 10.*  
nionem, quod gratia Evangelij nihil attineat gentes. Et Paulus in os ipsi *Gal. 2. à v.*  
resistit, cum recto pede non incederet ad veritatem. Idem vero Aposto- *11. ad finem.*  
lus affirmat nonnullos super fundamentum ædificare ligna, scænum, sti- *1. Cor. 3. v.*  
pulam, quorum opus per ignem sit rotendum. Sic igitur argumenta- *12. & 13.*  
mur: Si Petrus, vel confirmatus in Apostolatu, nihil minus in his quæ  
fidem proximè attingunt, hallucinatus est: multò magis alij Ecclesie  
Doctores & Episcopi erroribus obnoxij esse poterunt. Verum prius. E.

84. Connexionis rationem ipse nobis exhibet Apostolus, in locis alle-  
gatis. Accedit verò, quod Petrus, Apostolica quippe dignitate clarus,  
puritatis & dogmæ singulare habuit testimonium, quo carent cæteri  
Ecclesie Doctores.

#### LOCVS II.

85. Huc referimus exempla ex verustatis monumentis repetita. Er-  
rat D. Hieronymus, damnans secundas nuptias, easq; scortationi exæ- *Rom. 7.*  
quans, contra expressa scripturæ testimonia. Errat Ambrosius, scribens *1. Cor. 7.*  
sanctos Martyres sanguinis sui proijctione nobis salutem peperisse. *1. Tim. 5.*

86. Quis multa? ipse Augustinus aperte scribit: Vos si me talem *Epist. 7.*  
asseritis, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra la-  
boratis

laboratis, non bonam causam suscepistis, facile in ea me ipso iudice su-  
peramini. Idemq; sentit & scribit de alijs Patribus. Sed monstremus  
Epist. 111. & 112. qua integras Ecclesias particulare errare posse.

LOCVS III.

Gal. 3. v. 1. 87. O in sensati Galatæ, quis vos fascinavit, ut non crederetis  
veritati? Item, metuo ne frustra de vobis laboraverim. Et rursus  
Metuo, ne quo modo sicut serpens ille Evam seduxit calliditate sua,  
ita corruptæ mentes vestræ degenerent à simplicitate, quæ est in Christo.

2. Cor. 11. v. 3. Si Galatarum & Corinthiorum Ecclesia errare potuit, non absur-  
dum est errare posse & cæteras, & sic Romanam quoq;. Verum  
illud. Hoc igitur.

88. Connexum simul & assumptum, partim ex se partim ex ci-  
tatis locis claret. Rectè verò de Romana Ecclesia idem in specie con-  
cludi, ipse Paulus in capite 11. Epist. ad Romanos prolixè docet. Ex  
his vero de universali Ecclesia rectè concludimus hunc in modum:

LOCVS IV.

89. Si nulla uspiam dari potest Ecclesia particularis, quæ non erro-  
ribus involui queat, sequitur & universalem ex his constitutam, er-  
rare posse. Verum est antecedens. E. Ratio connexionis nihil enim  
aliud est universalis quam suæ particulares, ex quibus constituta est.  
Errores autem illos intelligimus, qui tamen fundamentum non convul-  
sunt. Agamus vero nunc de Catholica Romana seorsim.

LOCVS V.

90. Ut se habet Episcopus ad Ecclesiam particularem, ita  
Pontifex Romanus ad Ecclesiam universalem seu Catholicam. At Epi-  
scopus representative est Ecclesia particularis. E. Pontifex represen-  
tative est Ecclesia universalis. Hunc nobis Syllogismum libenter da-  
bunt Baalitiæ Romani, facit enim pro primatu Pontificis ipsorum.

91. Pergamus autem. Papa Romanus errare potest, imò sæpius,  
pessimè tum in doctrina tum in moribus lapsus est. At Papa Roma-  
nus representative est Ecclesia Catholica. E. etiam Ecclesia Catholica  
ejusmodi erroribus potest esse obnoxia.

92. Probatum Major. De Marcellino Pontificè refertur, quod idolis  
sacrificavit. De Papa Liberio, Hieronymus scribit, quod communicavit  
Dist. 19. hæreticis. Idem Gratianus scribit de Anastasio. Et Concilium Vltimum  
Honorium



Honorium Papam ut Monothelitam damnavit. Iohanna octava in pu-  
blico processu peperit. Et multi Pontificum, tantum non incarnati fue-  
re Diaboli. E.

93. Quare, ut cum D. Hieronymo loquamur: Non omnes Episcopi  
sunt Episcopi. Attendis Petrum, sed & Iudam considera. Stephanum  
suspicias, sed & Nicolaum respice. Non facit Ecclesiastica dignitas Chi-  
stianum.

LOCVS VI.

99. Denique totum Ecclesie corpus in concilijs congregatum cerni  
supra dixit Iesuita.

Iam vero saepius errarunt & Concilia, non particularia tantum,  
sed & Oecumenica: Fieri igitur potest ut universa Catholica quoque  
erret Ecclesia.

95. Assumptionem probamus. Erravit enim Cyprianus quando una  
cum ceteris Africani Concilij Patribus & Episcopis sanxit, ab here-  
ticis baptizatos esse rebaptizandos. Praterea Ariminense, Syrmien-  
se, & Ephesinum vi. Oecumenica Concilia, errasse, ne Pontificij quidem  
negabunt.

Quod Ecclesia nunquam deficiat.

96. Cum itaq; jam demonstratum sit, fieri posse, ut universalis erret  
Ecclesia [licet tota non erret in fundamento] ultimò quaeritur, an Ec-  
clesia deficere possit?

97. Et affirmativam quidem haereticis (quos ipse vocat) Bellarminus Bell. lib. 3.  
tribuit. Nos ambiguitatem verbi distinguentes, quod vel interire pror- c. 13. & se  
sus, vel ad angustiam redigi, vel à statu meliori ad deteriorem degene-  
rare significat, Ecclesiam tam visibilem, quam invisibilem defice-  
re, hoc est, interire posse negamus, idq; illis ipsis nixi fundamentis,  
quae adversum nos, propria cerebri sui figmenta fortiter impugnando  
Iesuita produxit.

98. Quomodo enim illa interiret Ecclesia, quam Deus fundavit: cui Ps. 88. v.  
Christus se assuturum promisit, cuius ipse quoq; est fundamentum, pra- Matth. 28.  
ter quod aliud poni non potest: contra quod nec ipsae inferorum portae 1. Cor. 3.  
prevalere queunt? Quin si regnum ipsius aeternum est, Ecclesia Matth. 16.  
quae est regnum illud interire non poterit. Daniel. 2.

99. Cumq; Electorum Ecclesia, non nisi in vatu vocatorum queren- Luc. 1.  
da sit, necessario sequetur, ut si illa est perpetua, nec visibilis ille vocato- Matth. 28.  
rum coetus unquam desinat.

100. Quan-

100. Quando igitur Deus apud Prophetam dicit, quod omnes ipsius dereliquerint: quod Israel non cognoscat ipsum, non ulterius hæc nisi de insigni raritate fidelium accipienda fuerint. Nam & regius Propheta conqueritur defecisse sanctos: & tamen audit Deum respondentem sibi: Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam. Itaq; porrò orat: Tu Domine servabis nos à generatione hac. Vt rectè 70. alterum verbum <sup>QD</sup> quo prius <sup>QD</sup> Propheta interpretatus fuit, verbo <sup>QD</sup> reddiderint. Quod & Lutheri versio observavit.

101. Ex his vero quid de superioris seculi Ecclesia, tyrannide Papatu adhuc oppressa statuendum sit, non difficilis est aestimatio. Erraverit sanè universa Ecclesia, at tota in fundamento non erravit, & proinde minimè defecit, hoc est, prorsus esse desit.

2. Thes. 2.

1. Tim. 4.

Apec. 14.

17. 18. 19.

102. Quin imò sicuti illam prope totalem apostasiam sancti Dei viri vaticinio Spiritu prædixerunt: sic promissiones divinas de perpetua Ecclesie conservatione non retulerunt.

103. Hoc igitur præstant promissiones istæ, ut semper remaneant sanctæ reliquæ, hoc est, electi, qui Ecclesiam Dei representant, quiq; in errores vel prorsus non inducuntur: aut certè in errores cum fundamento salutis pugnantes non consentiunt: aut si in illos abducti fuerint, ijs tamen tandem abjectis serventur.

104. Ad illam conservatam Ecclesiam referimus primùm infantes baptizatos, qui ex hac vita abrepti sunt, antequam malitia intellectum ipsorum perverteret. Sanctos deinde Martyres, qui profuso etiam sanguine suo testimonium veritati sub ipso Papatu perhibuerunt.

105. Cumque verbum Dei non prorsus fuerit deperditum, licet multis modis fuerit corruptum, quàm multos putabimus per illud ad veritatem agnitionis perductos, & in fidei simplicitate usq; ad finem vitæ conservatos fuisse?

Matth. 5.

106. Latuit ergo tum temporis Ecclesia, at non defecit. Nam quod aliàs comparatur civitati supra montem posita, quæ abscondi non possit: lucernæ item non sub modio, sed super candelabrum ponendæ, & quæ sunt præterea electæ civitatis Dei encomia, certum est ea cum exceptione peculiarium arumnarum & consilium accipiendæ esse:

quo tempore magis credere quam videre

Ecclesiam iubemur.

**F I N I S.**

Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.  
Them. Theol. de Sacramentis in gr̄.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et discipli-  
nā ex cultis, D. Hofmanni, B.

Thesi de justificatione hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de justificatione contra Flacianos Joh. Ferriarii.

Assert. Theol. de justificatione hominis coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa de justitiā fidei ab opibus, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputationes 2, quā una de sanctorū in vitā aternā  
nā beatitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant. p̄st. 3.

1. qd fit Gog Magog, Babel, Mesoch, 2. qd p̄ hoc vocab. Turca significant  
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutando duobus cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in quā tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad  
loco ubi ista evenient. 3. Cuius ob caus Turca Christianis immittat. 4. Cuius ratione sit repri-  
mend. 5. Quo pacto et q̄ armis tandem mediantibus fuerint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi de Predestinatione D. FREDERI.

Dis. de reali communicatione idiomatum in unā Personā Christi, M. Bernades.

Dis. de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄ GESNERI.

Them. Theologica de orali corporis Christi in cenā manducatione dictis Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communicatione idiomatum reali tertii gr̄i, D. GESNERI.



DEO PROPITIO

Συζητικῆς Theologicaς

DE VERA CHRISTI  
IN TERRIS ECCLESIA, ET  
num ea in fide errare & deficere  
possit.

Moderatore

REVERENDO ET CLARISSIMO  
VIRO DN. IOHANNE GEORGIO VOLCKMARO,  
S. S. Theol. Doctore & Professore in Aca-  
demia Witebergensi Publico,

CONTRA PONTIFICIOS

Ad disputationem XIX. in Collegio Studiosorum Theo-  
logiæ privato, die VI. Martij habendam,  
proposita

à

M. HERMANNO VVOLFIO LVBECENSI,  
Respondente,

M. GEORGIO SCHVVEGLERO AVGVSTANO,  
VVITEBERGAE, Literis VVolfgangi Meisneri.

ANNO cl. Io. IVC.

